

et protegendos bonos a Deo concreditus est, omnino abuti, et sicut nihil minus, quam officium suum facere, ita etiam certum esse debere, res suas durare non posse, sed necessum esse, ut vel ipse subditis ipsis debite praesit vel ab ipsis cum tempore in ordinem redigatur. Cuius quidem rei causa Ser^{tas} S. fideles suos provinciales, ut pote qui sese hactenus ergo S. Ser^{tem} et eius progenitores semper laudabiliter et probe gesserunt, et si nequaquam insimulat, verum tamen est Ser^{tem} S. de eo commonefactam fuisse, quando quidem illi quasi praescribatur quemnam in ditione sua servare, item cuiusmodi servitores seu familiares habere et quorum potentatum legatos admittere vel reiicere deberet.⁶⁾ Ideo Ser^{ti} S. talia ac eiusmodi surda aure minime praetereunda, sed potius ad animum revocanda et sedulo perpendenda esse, sicut et illud in veritate ita sese habet Ser^{ti} S. desertis verbis significatum fuisse, et quidem a personis, quae indubie erga S. Ser^{tem} optime affectae sunt, si S. Ser^{tas} innovationes illas, quae passim in suis provinciis circa religionem conspiciuntur, statim non inhibuerit, quod alii vicini principes rebus suis necessario providere et talia remedia illis adhibere cogentur, quae sine dubio Ser^{ti} eius magno damno ac detrimento erunt.

Quam rem S. Ser^{tas} tanto maiore animi molestia ac perturbatione percepit, quanto illi prae aliis exploratius est, habere sese vicinos, a quibus sibi ob rerum praeteritarum memoriam non parvum cavendum sit, idque eo magis cum iam in negotiis religionis versemur quam et hac nostra tempestate et superioribus temporibus aliquot regna et principatus omnino pessumdederunt. Quae omnia cum S. Ser^{tas} aliquamdiu apud sese animo diligenter perpenderet et re vera de iis viis ac rationibus, quibus tanto malo occurri et obviari posset, fideliter cogitaret, invocato demum Deo optimo maximo efficacius et salubrius consilium excogitare non potuit, quam si in negotio id decerneret, quo et spirituales ipsi et illi, qui confessionem Augustanam ex baronum et equitum numero profitentur, pro ratione rerum ac temporum contentari, imprimis vero S^{mi} D. N., ipsorum ordinariorum et aliorum catholicorum atque adeo etiam Ser^{tis} ipsiusmet votis ac desiderii satisfieri posset, maxime cum eo casu Ser^{ti} S. contra nostri christiani nominis hostes Turcas haud contemnenda auxilia pollicentur et e contra S. Ser^{tas} assiduas illas querimonias, gravamina, lamentationes, minas et expostulationes, quas hactenus ob saepedictum religionis negotium indesinenter pertulit, amplius nequaquam

⁶⁾ *Siehe Nr. 43, S. 134.*